

AD NOVAM
 VEN. HILDEBERTI CENOMANENSIS EPISCOPI
 DEIN
 TURONENSIS ARCHIEPISCOPI
 OPERUM EDITIONEM

PRÆFATIO

Ven. Hildeberti Opera de novo in lucem edituri, pauca præmittere rectum duximus de tanti præsulis nativitate et exordio, de ipsius monacatu, quem minus recte asseruit D. Antouius Beaugendre, de calumnia quam sæpe sæpius auctores, et quidem non ignobiles, contra ejus vivendi rationem, cum esset archidiaconus Cenomanensis, iterare non erubuerunt. Quænam autem huic novæ editioni addita, sive poemata, huc usque inedita, e manuscriptis codicibus eruta et primum publici juris facta, sive epistolas et orationes ex diversis libris depromptas, quæ omnia priorem editorem fugerunt, sive instrumenta e cartulariis extracta, sive notas quæ præsertim e fonte Benedictino hausimus, lectori benevolo fusius exponemus, in hac nostra præmonitione. Non omittendum sane quod præ manibus habuimus exemplar Operis Hildebertini ab ipso D. Beaugendre, docto editore Benedictino, notis et emendationibus auctum atque correctum.

Prædecessoris nostri vestigiis inhærentes, in hac nova editione, opuscula Marbodi, Redonensis episcopi, Operibus Ven. Hildeberti subjunximus.

Hildebertus, episcopus Cenomanensis et Turonensis postmodum archiepiscopus, vir in divinis Scripturis eruditissimus et in sæcularibus doctrinis nulli suo tempore secundus, ingenio acutus et multum disertus eloquio, propter libertatem ecclesiasticam, sanctamque disciplinam multa passus, pietate excelluit, virtutibus coruscavit, scriptisque tum metrico tum solutiori sermone claruit. Piis et honestis, mediocribus tamen, natus est parentibus Laverdini ad Montem Aureum in agro Vindocinensi, diœcesis Cenomanensis, anno 1055, juxta Mabillonium (*Analect.* tom. III, p. 303), anno autem 1057, juxta D. Beaugendre (*Ven. Hildebert. Op.* p. xvii). Si vero Joanni Maanno crederetur, anno 1054 (*Eccles. Metrop. Turon.* p. 103). Cum autem ad sedem episcopalem Cenomanensem ductus est anno 1097, unanimi doctorum calculo (*Gallia Christ. Sammarth.* tom. II, p. 516), et *Gestu Cenomanensium episcoporum* testificantur Hildebertum tunc quadragesimum ætatis annum nondum exegisse, natus sit anno 1057 oportet. In sua *Biblioth.* p. 196, Lacroix du Maine, vir eruditus, cognomine Hildeberti in errorem inductus, illum asseruit ortum e stirpe dominorum Castri Laverdinensis. Eandem amplexus est sententiam D. Henricus Lambron de Lignim, rerum heraldicarum peritissimus, in opere cui titulus: *Armorial des archevêques de Tours* (Turon., in-8°, 1854). E contra Baylius, *Diction.* tom. III, p. 343, not. E., dictis Menagianis nimis credulus, *Menag.* tom. III, p. 176, illum asserit ignobili eductum familia. Veritatem circa ejus nativitatem didicimus ex charta, primum a viro Cl. Baluzio edita, *Miscell.* tom. VII, p. 209, qua patet Hildeberti patrem fuisse de gente equestri. In eodem scripto invenimus Salomonem, Drogonem et Godefridum fratres ejus, quorum Godefridus, natu minor, adhuc tenera ætate in Majori

Monasterio, prope Turones, tempore Alberti abbatis educandus susceptus est. Albertus abbas familiariter usus est patre Hildeberti, venitque in curia Goffridi comitis apud Vindocinum et monasterio suo asseruit molendinum in ripa Ledi fluminis, presentibus viris, inquit charta. sæculi dignitate pollentibus, Salomone de Lavarzino, Odone de Lineriis et Hugone cognomine *Manducante Britonem*. (*Hist. Maj. monast. ms.* tom. I, p. 34. Biblioth. Turon n° 675).

Hildebertus, natus major, ingenio præstantior, ad statum destinatus ecclesiasticum, a pueritia scientiis divinis artibusque liberalibus operam dedit. Quantum vero in his omnibus profecerit nemo non novit qui ejus Opera attente legerit aut saltem aliquid ex ejus scriptis delibaverit. Post Willelmum Malmesburiensem. *De gest. reg. Angl.* lib. III, p. 113, Maannus Turonensis et D. Beaugendre, alique quamplurimi, affirmant illum Berengarii fuisse discipulum, in schola sive Turonica sive Andegavensi. Sed quo fundamento, non satis constat; siquidem nullibi ipse Hildebertus magistrum commemorat.

Quod autem epitaphium Berengario demortuo scripserit, jam Cenomanensis episcopus, quamvis archidiaconum Andegavensem amplissimis laudibus extulerit, non inde certo venit illius auditorem fuisse. In Epitaphio, quando sese dedit occasio, tacet Hildebertus se tanto magistro usum esse. Attamen D. Rangeat. in *Histor. universit. Andegav. ms.*, p. 20, ulterius progrediendo, affirmat Hildebertum adolescentem Andegavis audivisse docentem Berengarium, posteaque factum esse canonicum Andegavensis Ecclesiæ; sed hoc minus recte, aut saltem documentis authenticis non satis comprobatum. Nunquam in errores Berengarianos impegit; semper orthodoxam de sacra Eucharistia doctrinam professus est ut evidenter patet ex ejus luculento Tractatu de Eucharistia, ex Explanatione Missæ, e poemate de sacrificio Missæ, e carmine de sacra Eucharistia, et ex ejus variis passim sermonibus. Catholicam fidem de Transsubstantiatione et Reali Præsentia strenue defendit. Et notandum est illam vocem Transsubstantiatio, qua nunc ulitur Ecclesia contra hæreticos sacramentarios primo reperiri inter illius scripta theologica. De communione sic loquitur:

Gaudia Christicolis confert communio sanctis,

Qua verum Domini corpus sub pane paratur.

(e ms. Turon.)

Ne ultra modum mireris episcopum Berengarii encomium cecinisse et verbis fortasse modum excedentibus. De celebri viro sic se habet Chronicon Turonense: « Tunc Berengarius a Roma discedens Turonis venit, ibique in insula, quæ Sanctus Cosma dicitur, sæculi pompis abrenuntians, fere per annos VIII assidue Domino militavit; alique plures canonici Beati Martini sancto Spiritu necnon et salutari ejus admonitione instructi, mutatis vestibus, se ad illam insulam contulerunt. » Et paulo post: « Eodem anno obiit magister Berengarius grammaticus, fidelis et vere catholicus. » Ita Joannes Majoretanus; addit vero Willelmus Malmesburiensis, lib. I, cap. 3: Licet Berengarius primum calorem juventutis aliquarum hæreseum defensione diffamaverit, ævo austeriore ita resipuit ut sine retractatione a quibusdam habeatur sanctus (10.) »

Primis litterarum rudimentis instructus, stadioque scientiarum haud inglorie perlustrato, in scholis tunc tempore florentibus, ad divinarum litterarum studia Hildebertus se contulit. Qui de vita pontificis nostri scripserunt plerique tradunt ad Cluniacense monasterium Hildebertum accessisse, ubi S. Hugone abbate, studia sacræ theologiæ maxime florebant. Monasticum habitum induisse affirmant scriptores; negant alii. Summa diligentia curavit D. Beaugendre in unum producere omnia quæ priori favent opinioni auctorum testimonia. Andreas Duchesnius Turonensis, notis in vitam S. Hugonis, pag. 83, *Hildebertus*, inquit, *monachus primo Cluniacensis ejusdemque sancti Hugonis discipulus*. Hanc secuti sunt sententiam Joan. Maan, fratresque Sammarthani in *Gallia Christ.*, tom. II; quam impugnant auctores *Hist. litter Gall.*, tom. XI, p. 252 et Simon, canonicus Ecclesiæ S. Georgii Viudoci-

(10) De Berengario Turonensi consul. *Hist. ms. B. Martini Turon.*, biblioth. Turon. tom. I. — Maan, *Eccles., Turon.*, p. 104. — *Chronica Turon.* a Societate Archeologiæ Turon. edita, Turonibus, ap. Ladevèze, 1854.

nensis, in *Histor. Vind.*, tom. III. A. Duchesnius non videtur accurate discussisse suam de monacatu Hildeberti assertionem; re prius non ponderata, secutus est Chronicon Cluniacense, jussu D. Jacobi de Ambasia, abbatis Cluniacensis cœnobii anno 1485, a D. Francisco de Rivo Cluniacensi magno priore digestum. Tali igitur nititur argumento de professione monastica Hildeberti conjectura. Quod ista omnia sint recentiora ac proinde debiliora nemo est qui non videat. Objiciuntur gravis momenti rationes, quibus contrære impossibile est. Vitam S. Hugonis descripsit Hildebertus; quomodo silentio prætermisisset, se tali magistro usum esse et tam præclaro abbate duce didicisse sacras artes, ordinique Benedictino nomen dedisse? Tacent præterea omnes cœtanei scriptores de Hildeberti monacatu, quamvis de tanto viro pluries verba faciant, eum summis laudibus extollentes, ut S. Bernardus, Clarævallensis abbas, qui vocat illum *Magnum sacerdotem et excelsum in verbo gloriæ et magnam Ecclesiæ columnam*. Si de auctore Vitæ S. abbatis Cluniacensis bene perquiratur, audire est in decursu historiæ confitentem se B. Hugonem non ante vidisse quam, pergendo Romam cum Hoello episcopo Cenomanensi, in monasterio Cluniacensi divertisset. Cum vero perhumaniter vir magnæ sanctitatis Hoellum alloqueretur, sæpe sæpius ad Hildebertum archidiaconum deflectebat oculos, tandemque eum blande his verbis sic affari dignatus est: Tantum inquit, ne desis gratiæ Dei, quoniam provisum est te in eo, in quo nunc administras ordine, nullatenus remansurum. Parum temporis fluxerat, et eventus est vaticinium subsecutus. Archidiaconus etenim sequenti anno pontificalem sortitus est dignitatem. Nos hoc audivimus, nos præsentem vidimus; nos beati illius hominis orationum participes in eo facti sumus colloquio. Nos quidem, fama revelante, nonnulla de ejus sanctitate didiceramus, nonnulla de mansuetudine, nonnulla etiam de his, quibus et vitio iudicium et virtuti prærogatur incrementum; invenimus autem ampliora ex gregis conversatione, pastoris vigilantiam perpendentes (*Bibl. Clun.*, p. 923). » Hic tantummodo de visu loquitur; quis ergo sibi persuasum habebit alumnum B. Odonis, discipulum atque monachum. *ampliora ac fere omnia, ex gregis conversatione invenisse, cæteraque fama revelante didicisse?* Proferuntur quoque duos Petri Pictaviensis versiculi, qui totam controversiam dirimerent, si de Hildeberto certo ageretur.

Prodiit hinc etiam Juliani dulcis alumnum,
Qui bene Turonicæ præfuit Ecclesiæ.

Ast nunc quis Cluniacensibus illum accensere poterit? vix enim aut ne vix quidem ei ad scholarum magisterium Cenomanensis Ecclesiæ licuisset per tempus moremque Ecclesiæ assumi, si Cluniacis institutis suam collocasset operam et voto religionis sese obstrinxisset. Unde, ut ait D. Mabillonius, non mihi apparet unquam Hildebertum fuisse Cluniacensem monachum, nec ante nec post episcopatum, quamvis desiderium ipse expresserit vitam amplexandi regularem, si veniam concessisset Romanus Pontifex: « Cujus sinum quasi reus jamdudum amplexus essem, si consultus papa pontificis onus amolliri permisisset (Hildeb., epist. ad Hugonem). » Sicque tota ruit D. Beaugendre argumentatio diffusa.

Ut autem ad Petrum Pictaviensem redeamus, non satis expressit mentem, Hildebertum S. Juliani alumnum dicendo. Dux nempè inveniuntur celebres ecclesiæ B. Juliano dicatæ, prior nempè Cenomanis, posterior vero Turonibus, ambæ undecimo sæculo scientiarum doctrina virtutumque christianarum splendore coruscantes. De ecclesia autem cathedrali civitatis Cenomanicæ probabilius intendit auctor panegyrici ad Hugonem abbatem.

Quamvis opinionem amplecti liber esto. Porro talem de se famam ubique diffuderat et quidem de eximio ingenii sui acumine et doctrinæ excellentia Hildebertus noster ut ab Hoello Cenomanensium episcopo, scholis ecclesiæ cathedralis præficeretur. Tanta fuit eruditi scholiarchæ longe lateque ut auditores quam plurimi undequaque circa suam professoris cathedram confluerent. Quanto autem tempore magisterio præfuerit, ignoratur. Anno Dom. 1092, ætatis vero suæ trigesimo quinto in archidiaconum ab eodem Hoello præsule sublimatur; quod quidem insigne ministerium per quinquennium, ut ipse notat, digne gessit (Epist. 21, lib. III, ad *Guillelm. abbatem S. Vincentii*). Sic tandem aucta fuit per dies vitæ, scientiæ atque regendorum aliorum peritiæ archidiaconi jam optima nota, ut mortuo Hoello dignus videretur Hildebertus

qui pedum pastorale manu teneret Ecclesiamque Cenomanensem regeret Major meliorque pars cleri et populi, votis concordibus ad episcopatum illum elegerunt quadragenarium, solo fere obsistente Helia comite, qui decano Ecclesie Godefredo nomine, Britannicæ oriundo provinciæ, una cum paucis canonicis favebat. Helias autem comes vir erat religiosus ac timens Deum, iram itaque mox compescuit electionemque regulariter factam cognovit et approbavit. Non inde illico in pontificem ordinatus est Hildebertus. Horribilis contra illum exorta est procella. Ab infensis Cenomanensibus clericis qui a partibus Godefredi steterant insimulatus est criminibus pessimis. Ivo, Carnotensis episcopus, disciplinæ ecclesiasticæ acerrimus propugnator, qui tunc temporis in Gallis vices gerebat quasi publici omnium causarum iudicis, accusationi aures præbuit, epistolamque scripsit ad electum antistitem ut ab electione discederet si tandem reus esset. D. Beaugendre, D. Bondonnet, J. Maan, Simon, nostrum præsullem de gravi accusatione vindicant et quidem argumentis inconcussis. Cum autem contra Baronium et alios non parvi nominis auctores eandem quæstionem diligenter tractaverint docti auctores *Histor. litter. Galliæ*. tom. XI, pag. 254 et seqq., rectum duximus de novo innocentiam sancti præsulis asserere et opus Benedictinum ante omnium oculos supponere. Ex litteris Ivonis facile colligitur Hildebertum coloribus atris fuisse depictum ab inimica manu et mulierum obscenitate infamatum. « Audivi de te, quæ mihi dolori sunt et horrore. Quæ si vera sunt, non poteris populo præbere regimen, sed augere discrimen. Dicunt enim quidam de majoribus Cenomanensis Ecclesie, qui anteactam vitam tuam se nosse testantur, quod ultra modum laxaveris frena pudicitie, in tantum ut post acceptum archidiaconatum, accubante lateribus tuis plebe muliercularum, multam generis plebem puerorum et puellarum. Tu autem nosti quod probatæ debet esse castitatis, qui sublimatur ad fastigium curæ pastoralis. » Et post pauca : « Quæ omnia si ita sunt, periculosa tibi sunt, dilectissime frater, et infinitum laborem, quantum æstimo, paritura. Unde consule tibi secundum testimonium conscientie tuæ ut vel honeste et caute cœpta perficias, vel salutem tuam consulens deficias. » Hæc Ivo, qui addit episcopum debere se virum præbere in omnibus irreprehensibilem. lapsumque a dignitate esse privandum, nunquam ad dignitates eminentiores esse provehendum, omnesque clericos in sacris constitutos post culpam esse ab Ecclesia arcendos aut saltem ab exercendis ordinibus removendos. Hildeberti accusatores suggerebant illius electionem contra ipsorum vota tumultuariam fuisse, canonicamque oppositionem irritam fuisse. His et similibus valde commotus Carnotensis episcopus suadet ut electioni renuntiet Hildebertus, animæque suæ provideat et Cenomanensium salutem, dum tempus est, prudenter consulat.

Ivonis litteris tanquam testimonio comprobato nisus Baronius Hildebertum perditæ ac profligatæ vitæ insimulat in Annalibus ad annum 1088. Quem postea alii secuti sunt imprudentes, testimonium primum nunquam pendentes neque discutientes. Rerum divinarum et ecclesiasticarum hostes infensissimi eandem amplexi sunt narrationem, calumniam iterum atque iterum dictitantes, felices nimium inter declamandum contra sacerdotem, summis Ecclesie honoribus decoratum. Baronius insuper (eod. ann., n° 15, 20) ægre ferens quod Berengarius fuisset laudibus et encomio plus æquo ab Hildeberto elatus in funebri epitaphio, eo ipso suspitione iniqua in auctorem invehitur et dicit archidiaconum Cenomanensem, talia de hæresiarcha profando, non fuisse neque fidei neque morum integritate conspicuum. Tunc in medium affert epistolam episcopi Carnotensis superius memoratam qua patet, inquit, Berengarii discipulum *ultra modum laxavisse frena pudicitie* Eadem censura et laudatum percutit; ast quis non videt talem argumentandi modum vitio laborare, siquidem a prudentibus scriptoribus criticæ sanæ regulis adhærentibus, accusatus non iudicandus est reus antequam deprehendatur certo criminis noxius. Aliter sane Baronius agere debuisset; ultra modum fortasse laudibus extollitur Berengarius, sed non inde Hildebertus erat infamandus.

Corvaisierius, in sua episcoporum Cenomanensium Historia, p. 389 et seqq., in eundem impegit errorem, ulteriusque progreditur. Nullo fretus auxilio, antecedentium siquidem auctorum testimonio nullo, scripsit Ivonem Cenomanum venisse, pontificem nuper electum adisse, ipsumque tum adhortationibus, tum verbis durioribus increpasse, ut a solutiori vita desisteret, agendique modum abrogaret, quibus et sibi exitium et Christi fidelibus scandalum præbuerat. Deinde, parum vel nihil faciendo

cæterorum auctorum opinionem, justificationis etiam ad argumenta ne quidem attingendo vel levissime, aures arreclas præbet illis solummodo Hildebertum asserentibus ante suum episcopatum, fuisse peccatorem. Mendacium tulciri studet, pag. 394. auctoritate Necrologii Ecclesiæ B. Petri de Curte, quo fit mentio cujusdam Gervasii, filii *naturalis*, ut asserit, nostri Hildeberti. In sua Sablotii Historia, Menagius non minus injuste erga nostrum pontificem egit, quamvis de illo pauca loquatur. Non prætermisit Bayle, in suo Dictionario tom. III, pp. 341, 342, accusationem contra episcopum motam. Loquitur fortasse de Hildeberto tantummodo ut in lucem producat et epistolam Ivonis et epistolam spuriam, Hildeberto tributam, contra curiam Romanam.

Cum autem Ivonis Carnotensis episcopi litteræ unicum appareant originem calumniæ toties propalatæ contra memoriam archidiaconi Cenomanensis, ad calumniam depellendam certa foret via demonstrandi eas supposititias, nulla prorsus fide dignas. Juretus, not. in epist. Ivon., p. 208, 209, affirmat epistolam 177 fuisse ad Aldebertum quemdam directam, non autem ad Hildebertum; sed minus caute, siquidem prælatus noster Aldebertus quoque nominatus deprehenditur in documento Nannetensi anni 1105, edito ab auctore *Historiæ Britannicæ*, p. 264, inter monumenta varia, et ab Ed. Martenio, *Thes. Anecd.* tom. I, p. 316. Aldebertus insuper dicitur in epistolis et chartis, et præsertim in epistola ab Hildeberto manu propria scripta ad Ranulfum, episcopum Dunelmensem. Nullus præterea invenitur archidiaconus hujus nominis tempore Ivonis Carnotensis. « Certe qui de Hildeberto scriptam epistolam pertinacius neget, is, judicio Sirmundi, clausis oculis sibi credi velle censendus est (SIRMUND, in *Goffrid.*, lib. III, ep. 13). » Doctus Mabillonius *Ann.* I. LXIX, n. 59, pene iisdem verbis ulitur. Gravis momenti nemo est qui non videat auctoritatem eruditissimorum virorum; attamen D. Beugendre argumenta non contemnenda profert quibus probare nititur illam esse spuriam, pag. XIX. Quidquid autem sentiendum sit de authenticitate istius epistolæ, accusatio non minus evadit mendax: Ivo enim litteras invocat inimicorum electi præsulis, *quorum nec consilio fuerat electus, nec assensu*. Ita demum tota ruit argumentatio contra pontificem nostrum ab adversariis adunatis viribus ædificata. Deceptus est Ivo circa Cenomanensem archidiaconum, sicut Marbodus episcopus Rhedonensis et Goffridus Vindocinensis monasterii abbas circa Robertum de Arbrissellis, Fontis Ebraldi cœnobii fundatorem.

Notandum quoque videtur Ivonem, virum in rebus ecclesiasticis facile ardentem et polemicis quæstionibus strenuum, non absolute loquentem et verbis quasi dubiis utentem. *Dicunt enim quidam*, inquit. *Quæ si vera sunt... si ita sunt*. Postea vero, de virtutibus Hildeberti certior factus Ivo sæpe sæpius illum commendat ut *bene moratum ac religiosum* antistitem, ipsumque amicum frequentius appellat. Non hic proferenda censemus quasi sine numero testimonia scriptorum cœtanorum, qui omnes nostri Hildeberti laudes concinunt.

Multa quoque tentavit Guillelmus Rufus, rex Angliæ, ut turbaret Hildeberti electionem et ordinationem, siquidem contendebat comitatum Cenomanensem esse ditionis suæ, totamque rem se inconsulto non debuisse nec debere exitum habere. Indigne ferens Heliam comitem solum intervenisse, archidiaconi electionem voluit irritam reddere. Sed Radulfus, Turonensis archiepiscopus, electum antistitem sacris imbuit in Ecclesia Cenomanensi et sedis ejus in possessionem induxit anno 1097, ipsa die Natali Domini sacra.

Circa ordinationis ejus annum a quibusdam eruditis mota est quæstio. Reperitur nomen Hildeberti inter suscriptiones episcoporum qui interfuerunt concilio Santonensi, habito, juxta Labbeum, *Conc.* tom. X, p. 604, anno 1096, die secunda mensis Martii, et juxta Mabillonium anno 1097, *Annal.* I. LXIX, n° 64. Si res ita se habeat, quomodo Hildebertus adesse potuit concilio anni 1096, episcopalibus infulis decoratus, cum anno tantum 1097 fuerit a Turonensi metropolita consecratus episcopus? Mendose videtur annus concilii a Labbeo supputatus. Opinio vero D. Mabillonii facile interpretatur: annus enim tunc temporis a solemnitate Paschæ initium sumebat, ac proinde annus 1097 nondum evolutus erat die secunda mensis Martii.

Quadragesimum attigerat ætatis annum Hildebertus quando sedit pro episcopali solio; vixque possessionem dignitatis suæ obtinuit canonice, cum vitæ regulam sibi laudabiliter proposuit sequendam, quam auctor Gestorum episcoporum Cenomanensium descripsit. (Vid. *infra Excerpt. e Gestis episc. Cenoman.*)

Non diutius in Hildeberti sancta agendi ratione, et quidem episcopo digna, immorabimur. Anno autem 1125, Gilberto Turonensi archiepiscopo e vivis sublato, in ejus locum fere septuagenarius suffectus est Hildebertus. Obiit Turoni xv Kal. Januarii an. 1134. Sepultus est in æde metropoli, cujus ipse fecit primordia, jacetque ad partem altaris dexteram.

Hic subjungenda opportunum censuimus quædam facta ad historiam Ecclesiæ Turonensis attinentia, quæ D. Beaugendre prætermisit.

Antequam Hildebertus ad Turonensis Ecclesiæ regimen et pontificatum accessisset, magister quidam Gaufridus, sic enim vocatur in authenticis litteris, multos jam viros piæ solitudinis incolas coegerat in silva Blimaria, in finibus Carnutum; eique hanc ob rem Rainaldus Ancherius, Hugo Lombardus, Harduinus Conanus, Gano Balgentiacus et Garnerius filius, quidquid ibi circum mancipii nexique habuerant, pie contulerunt; constructaque illic ex ligno sacra ædicula B. Magdalenæ, locus in frequentem statim anachoretarum exedram evasit, Gaufrido moderatore. Verum hos tandem a solitariorum regula non parum deflectentes, cum Hildebertus ad Turonensem Ecclesiam recens assumptus, ferre non posset, dimisit ille protinus, et vicinum secedens in locum, cui Fontanis nomen, Cistercienses monachos, quorum fama jam ingenti Bernardi sui sanctitate percrebuerat, accivit anno 1127. Cænobium erexit Hildeberti jussu et approbatione; atque ii ut possent una victitare. Reginaldus a Castro dictus, cujus in ditione quæ Gaufrido eremitæ jam tradita fuerant, allodia constituta erant, horum demum toparchiam et clientelare jus concessit, addita Landa, nobili prædio, circumadjacente, anno 1140. Quod Theobaldus Blesensis comes earum rerum superiori potiorique jure dominus, et Hugo Turonum archiantistes postea firmaverunt. De his vide Maannum, in sua *Eccles. metrop. Turon.*, p. 111.

Richino comite per id tempus vita excedente, Fulco junior, ejus ex Bertrada filius (hic quintus ipsius nominis comes Andium fuit) comitatum Turonensem adiit anno circiter 1115. Hic armis strenuus peræque et christianæ pietatis studiosus, Turonensem Ecclesiam sartam tectam esse voluit. Hugoni Calvimontano Ambasiam, quam Goffridus frater Elisabethæ sorori dederat in dotem, confirmavit. Richinus quippe Goffridum Martellum genuerat ex Hermingarde Archembaldi Borbonii filia, secunda uxore, eaque mox repudio ejecta et Guillelmo Jalniaco superinducta connubii fœdere copulata, Bertradam sibi conjunxit, qua Fulconem ei, antequam ipsa raperetur a Philippo rege, procreavit. Jalniacus autem Elisabetham filiam suscepit ex Hermingarde, quæ Hugoni Sulpitii Ambasii filio desponsa Ambasiæ Castelli partem alteram, quam Ambasienses ab Andegavis comitibus nondum obtinuerant, a Goffrido fratre accepit dotis nomine; factusque ea ratione Hugo primus Ambasiæ dominus universalis, qui Calvimontis jam erat. Montem Ricardum, Calvimontanis jam dudum injuste ablatum, Hugoni ipsi restituit. Castrum Pruliacum, bello abs se captum, Echinardo principi armis ab rebellione superato et meliorem ad frugem venienti, reliquit. Bazonis Montem emit ab Joanne, a quo cum ille facti pœnitens nolisset tradere, tulit armorum vi, et alia id genus bene multa præclare fortiterque gessit, dum Turonum comitem ageret, ob quæ Balduino II, Hierosolymorum rege mortuo sine masculis, procerum ipse omnium et Christianæ totius militiæ votis expetitus, atque a Ludovico Francorum rege Crasso permissus, post acceptam ab Hildeberto in Turonensi ecclesia metropoli sacræ militiæ tesseram, ipso die Pentecostes, et institutum Goffridum filium Plantagenetam dictum, Turonensium atque Andium et Cenomanorum comitem, Hierosolymam profectus est anno 1127, et ducta tandem in uxorem Balduini filia natu majore ac regni hærede, Hierosolymorum rex salutatus est anno 1131.

Quanti sint momenti supralaudata facta nemo est qui non videat, ut bene intelligantur non pauca sive in actis, sive in scriptis Hildeberti archiepiscopi. Nunc autem veniamus ad notitiam eorum quæ hanc novissimam editionem Operum Ven. Hildeberti auctiorem ac accuratiorem reddunt.

1° D. Anton. Beaugendre 121 epist. Ven. Hildeberti publici juris fecit, quas in tres libros ordinatim disposuit, quarum epist. 45. lib. II, non est Hildebertina, sed tantum fragmentum epist. S. Hieronymi ad Demetriadem. Duæ autem aliæ, si auctoribus *Hist. litter.*, tom. XI, p. 308, credatur, sunt Odonis S. Petri abbatis. In appendice tres alias insuper edidit D. Beaugendre, quæ tantum post cæteras omnes typis impressas illi innotuerunt, prima Turstino, electo archiepiscopo Eboracensi,

in Majori Britannia, scripta fuit circa annum 1125; secunda responsionem continet ad quæstionem de casu morali propositam a Marbodo, Redonensi episcopo, et W. Andegavensi archidiacono. Hic notandum quod D. Acherius hanc primum edidit epistolam in *Spicilegio*, eandemque Marbodo tribuit quam Hildebertinam tradit D. Beaugendre. Videtur autem penitus ignorasse posterior prioris sententiam; quam si comperisset certe discussisset. In illis vero auctorum mediæ ævi intricatis et satis obscuris quæstionibus, errorum fons et origo facile deprehenditur in eo quod scriptores antiqui nomina sæpe sæpius ac fere semper per litteras initiales tantummodo designent. D. Lucas Acherius, scriptor quidem oculatissimus, videns litteram M. legit *Marbodus*, dum e contra D. Ant. Beaugendre legit *Marbodo*, sicque unus epistolæ auctorem, alter susceptorem Marbodum habuit. Prior autem copiam habuit e manu viri doctissimi d'Hérouval; posterior vero e manu Steph. Baluzii, litterarum peritissimi. Probabilius videtur istam epistolam esse Hildebertinam, siquidem de seipso non prædicaret *Marbodus Dei gratia venerabilis Rhedonensis episcopus*, dum ei recte scriberetur *Marbodo Dei gratia venerabili Rhedonensi episcopo*. Cum D. Beaugendre igitur censemus illas litteras ab Hildeberto nostro fuisse scriptas; quo vero tempore, incertum. Tertia epistola directæ est ad R., id est ad Ranulfum episcopum Dunelmensem (*Durham*), anno 1099. Illam habuit editor Benedictinus a Dom. Loyanté, Turonensi sagacissimo antiquitatum indagatore, quamvis ipse non invenerit eam in manuscriptis codicibus quos præ se multos possedit. Tres autem illas epistolas, post epistolam 34 lib. III, immediate adjecimus sub num. 35, 36 et 37, anteponentes autem in nota *monitum* D. Beaugendre, ita ut notitia litterarum quæ apud Benedictinos auctores *Historiæ litter Galliæ*, aperte concordet in nostræ novissimæ editione, eam editione D. Beaugendre.

Denique ex Anecdotis Antonii Muratorii, lines accepimus epistolas ineditas ex Ambrosianis codicibus ab ipso erutas, quas hic adjectas ponimus sub num. 38 et 39. Tres alias prelis simul commisit vir doctissimus, sed cum ab Anton. Beaugendre fuerint jam in lucem editæ, illas sedulo contulimus et invenimus textum a D. Beaugendre editum multo esse accuratiorem. Etenim in *epistola Hildeberti* 4, quæ est 10 in Ambrosiano codice, et 40, lib. II, p. 145 edit. Anton. Beaugendre, plurima reperiuntur a Muratorio mendose transcripta. In exemplum adducere satis sit sequentia verba: « Quibus cum diem agendi ex vestro dedissemus præcepto, ipsa Agnes et pro brevitate temporis, et pro loco ad quem suos deducere non poterat advocatos, et maxime Guidonem de Lavallo fratrem suum cum comite guerram habentem, se non posse ad causam venire prætendit. » Ita D. Beaugendre, ex manuscripto codice Ebroicensi. Sic vero D. Muratori: « Quibus cum diem agendi ex nostro dedissemus præcepto, ipsa A., pro brevitate temporis, et pro loco ad quem suos non poterat advocatos ducere, et maxime W. de Javallo fratrem suum cum comite Guerrino habere, se ad causam non posse venire prætendit. »

Ms codicem et quidem optimæ notæ, Hildeberti cœvum, nobis suppeditavit amicus et bonarum litterarum studiosissimus Andreas Salmon Turonensis, in quo exaratae reperiuntur XL epistolæ. Illas omnes contulimus cum epistolis jam impressis, nullamque invenimus ineditam, quamvis notam ultima pagina insertam manu quidem non antiqui auctoris, legerimus his verbis: « Desunt epistolæ ab hac 40^a usque ad 83^{am} et ultimam, quæ omnes impressæ habentur in *Bibliotheca Patrum*; hæc vero quæ incipit: *Successisse confitebor*, non invenitur intra impressas. » Istam autem epistolam deprehendimus insertam inter epistolas lib. III sub num. 34.

In tomo XI, p. 308, *Histor. litter. Galliæ* legere est hanc notam: « Thomas Bodley dedit Universitati Oxoniensi, inter alia opera, manuscriptum codicem in quo insertæ inveniuntur 178 epistolæ Hildeberti, Cenomanensis episcopi. » Et profertur liber *Biblioth. Bodleyanæ*, p. 92, n° 1872. Unde spes nobis affulsit novas 53 epistolas Hildebertinas in publicum producendi. Epistolam direximus e Turonibus mense Maio, an. 1854, ad virum cl. H. O. Coxe, bibliothecæ Bodleyanæ administrum, qui in responsum nobis dedit manuscriptum codicem, n° 1872, se præ manibus habere, qui quinque tantum Hildeberti epistolas contineret quarum etiam ultima imperfecta videtur. Inde venit error quod incuria typographus sic mendose impressit. « Hildeberti episcopi Cenomanensis epistolæ 178, » loco *Hildeberti epistolæ*, folio codicis 178. Epistolæ vero quæ in codice Bodleyano inveniuntur sunt editionis D. Beaugendre 7, 8, 18, 17 et 25, et codex ille exaratus est versus finem XII sæculi.

Ad elucidandas obscuras quæstiones præsertim de tempore quo scriptæ sunt epistolæ quædam, textibus subjungemus notulas e libris Benedictinis commodatas, ex *Histor. litter.* tom. XI, magna ex parte erutas. Quæ notulæ, sicuti omnes nostræ additiones, cruce, sub hac forma † præsignantur.

Spuria Hildeberti epistola invenitur apud Madgeburgenses centuriatores. In libro *Le mystère d'iniquité dévoilé*, D. Coeffeteau illam supposititiam evidentibus argumentis comprobavit. Unde certo patet quam graviter erraverint Illyricus, Viguier, Duplessis Mornay et Bayle.

2° Subsequuntur diplomata ab Hildeberto concessa, quæ post epistolas a quibus vix secernuntur, locum naturæ rerum commodiorem obtinent. Sunt certe numerosissima; sex tantum edidit D. Beaugendre; tria addidimus e cartulariis primum in lucem advecta, sub num. 7, 8 et 9; duo, 10 et 11 inveniuntur in *Amplissima Collectione* D. E. Marten., I, pag. 579 et 606.; duo denique, 12, 13, hausimus inter *Miscellanea* Steph. Baluzii, tom. III, edit. Mansi in-fol.

Vide indicem D. Beaugendre quoad sex diplomata cura illius impressa.

Septimum et octavum reperimus inter Instrumenta ad calcem *Historiæ Majoris Monasterii* prope Turones, auctore Edm. Martenio, ms. tom. II, p. 64 et 182. Ille liber ms. pertinet ad biblioth. urbis Turonicæ, et hic notandum quod Instrumenta quæ subjiciuntur in eadem Historia ms., quæ est biblioth. Imper. Parisiens., non sunt eadem ac ea quæ in nostra. Diploma septimum *Donum* continet *Hildeberti Cenomanensis episcopi de ecclesia S. Georgii de Nemore*. Diploma octavum sic inscribitur: « Litteræ Hildeberti Cenomanensis episcopi de ecclesiis de Meduana et de Saccio, » et concessum fuit anno Dom. 1120. Nunc extractum e Chartulario insignis Ecclesiæ Cenomanensis quod dicitur *Liber Albus Capituli*, num. ccxviii, ad nos transmisit doctus Dom. Pitra, qui assensit *Liberum Album* a D. Renato J. F. Lottin, canonico Cenomanensi, iurisperiti publici fore. Diploma decimum, circa an. 1100 concessum est sub titulo sequenti. « Instrumentum de concordia facta inter Cenomanenses canonicos Sancti Juliani et monachos Sancti Vincentii. » Diploma undecimum datur monasterio S. Victoris et confirmat monachis Hildebertus concessas a laicis ecclesias, anno Dom. 1116. Diploma duodecimum fuit anno 1114, in gratiam monachorum Majoris Monasterii prope Turones. Diploma decimum tertium et ultimum confirmationem præbet Hildeberti Cenomanensis episcopi de ecclesia de Torciaco vulgo *Torcé*.

3° Sermones, numero centum et quadraginta palam edidit D. Beaugendre, quibus addendus est sermo in Dominica Palmarum ad calcem operum Marbodi. His subjungemus duos sermones a D. Muratorio in Codice Ambrosiano, detectos prior *in Adventu Domini*, posterior *in Carnotensi concilio*. Sicque in hac novissima editione reperientur sermones numero 143.

4° Succedunt deinde 1° *Vita sanctæ Radegundis, Francorum reginæ*, 2° *Vita sanctissimi Patris Hugonis, abbatis Cluniacensis*. In utraque Vita distinctionem capitum, cum argumentis, inseruimus, et notas infra caput unumquodque postposuimus, ex Actis Sanctorum Bolland.

5° Proxime accedit *Liber de querimonia et conflictu carnis et spiritus seu animæ*, cui nihil addendum reperimus, nisi notam qua videtur eundem librum aliquando sub titulo *Incendium* fuisse designatum. Unde forsitan quis opinari posset, sed erronee, duplex esse Hildebertinum opus.

6° Postea venit *Moralis Philosophia de honesto et utili*. Hunc librum primum edidit D. Beaugendre ex mss. Colbertino 2662 et Victorino n. 759. Illum autem iterum edimus, sed multo quam antea auctiorem atque emendatiorem, ex bibliothecæ seminarii Patavini manuscripto codice, notis illustratum. Principem obtinet locum in codice Patavino opus Hildebertinum et inscribitur: *Isagoge ad moralem philosophiam*. Novam istam editionem *Moralis philosophiæ*, notis illustratam, nobis perhumaniter præbuit bonarum litterarum doctus, atque fervens amator D. Vincentius De Vit, a Stesa, super lacum Majorem, in regno Pedemontano; quam dedicavit *Clarissimo viro Josepho Valentinelli bibliothecæ D. Marci Venetiarum præfecto*. Codicem Patavinum esse optimæ notæ, codicibus Colbertino et Victorino anteponendum, nemo est quinon videat, si textum a D. de Vit in lucem nunc productum cum textu a D. Beaugendre edito vel leviter conferre voluerit.

7° Subsequitur *Libellus de quatuor virtutibus vitæ honestæ*.

8° Hunc autem libellum excipit *Tractatus theologicus*, opus sane doctrina, methodo, styli elegantia, verborum proprietate, ab omnibus mirandum. Utrum vero sit Hildebertinum dubitant auctores *Hist. litter.*, tom. XI, p. 362-365, negant auctores tom. subsequentis, p. 29-37. Illud posteriores tribuunt Hugoni a Sancto Victore. Cum autem plerique codices et quidem optimæ notæ et Hildeberti fere coævi, tractatum theologicum affirmant Hildebertinum, illum, ad fidem manusccriptorum, prelis committimus, textumque edit. ann. 1708 ex integro renovamus.

9° Sequitur *Brevis tractatus de sacramento altaris*.

10° Deinde *Liber de expositione missæ*.

11° Postea *versus de mysterio missæ*, quibus ineditos quinque versiculos adjecimus ex ms. cod. Turon., n° 115, sub titulo: *De mutatione locorum in missa*; et alii *versus de sacramento altaris*; denique *De novo Sacrificio vetus abrogante*.

12° Succedit *Liber de sacra Eucharistia*. Auctores *Hist. litter.*, tom. XI, jam sæpius laudati, poema de sacra Eucharistia tradunt esse Petri Pictoris, sicuti et alii *versus de sacramento altaris*. In ms. codice Sangermanensi, n° 658 sic legitur: « Magistri Petri Pictoris canonici S. Audomari de sacramentis altaris. » (Vid. opus supra mem., p. 371.)

13° *Carmen de operibus sex dierum* non est Hildebertinum, juxta auctores operis supra nominati (p. 372), sed Theobaldi episcopi, sicut et *Physiologus*, ut videre est in libro D. J. Lebeuf, Autissio dorensis canonici, *Dissertat. hist. Paris.* tom. II, p. 66, et seqq. D. autem Polycarpus Leyser. in sua *Biblioth. poetarum mediæ ævi*, poema *Sex dierum* episcopo Cenomanensi tribuere non dilitetur, publicique juris fecit *versus De excidio Trojæ* nomine Hildeberti, ea fretus ratione quod proxime librum *De operibus sex dierum* in codice ms. s. querentur. Ad § *De sirenis et homocentauro* notulam adjecimus, qua vocabulum *Onocentaurus* ex Isaiaë et S. Hieronymi textu restituitur et quædam verba corriguntur.

14° et 15° *De ordine mundi, et de ornatu mundi poemata*.

16° Ad carmen in libros Regum nihil adjiciendum reperimus.

17° *Diversorum sacræ Scripturæ locorum moralis applicatio*. In cod. ms. Turon. n° 117 aliter et forsitan melius leguntur quinque versiculi, *immolatio Isaac*, quos adjunximus § decimo. Idem codex § 45, non habet duos primos versiculos quod minus recte hic supposuit D. Beaugendre. Isti quidem duo versiculi sunt elegiaci, nulloque modo ad titulum referri possunt. Alii versiculi sunt hexametri, sub titulo *Organa in salicibus a populo Dei suspensa*. Ut autem nihil pereat, fragmentum collegimus et hic misimus.

De duplici Christi natura

Nostræ naturæ deitas unita refertur

In Christo sic sunt dives egensque simul.

In supra laudato manuscripto duos ineditos § invenimus, quos addidimus sub numeris L. et LI, cum titulis: 1° *Quid significat quod solemnitas Paschæ celebrabatur per xl. dies*: 2° *Quid significat quod populus cum libertate ad victum frugem recepit, cum vero ad semen factus est servus*.

Ex Novo Testamento, § XIV bis datur, p. 1226 et p. 1363. Unum expungere curavimus.

Alia versuum argumenta, § VII adjecimus binos versiculos ineditos, ex cod. Turon, n° 115.

18° *Inscriptionem Christianarum libellus*. Libellus ille omnino novus ineditusque. Nemo rerum archæologicarum peritus nescit ædes sacras olim undique depictas, omnesque præcipuos fidei Christianæ articulos sive codicis sacri historicos actus, necnon et beatorum, nunc in cælis triumphantium, in parietibus fuisse forma et coloribus descriptos. In Gallia xi° præsertim sæculo invaluit mos ecclesias intus depictarum imaginum adornandi cultu quasi regio.

Sic se habet Prudentius *Peristeph.* hym. XII, vers. 47 et 48:

Regia pompa loci est; princeps bonus has sacravit arces,
Lusitque magnis ambituum talentis.

Verbum autem *lusit* hic pro *pinxit* usurpatur. Exemplum hic afferre liceat :

Propterea, visum nobis opus utile, totis
Felicis domibus pictura illudere sancta.

(S. PAULIN., *de S. Felice nat.*, carm. ix, vers. 580 et seqq.)

Non parietes tantum, sed et laquearia, cameræ, ipsaque pavimenta coloribus vel musivo opere decorabantur, ita ut quocumque fideles circumspicerent, præ oculis imagines sanctas habebant, volueruntque Patres animos ad pietatem et piam meditationem deflecti, et colorum varietate concordi et luminis splendore mirando (GORI, *Vet dipt.*, tom. III, p. 261). De sacris pingendis imaginibus cfr. S. Basil. homil. 17, *in Bart. mart.*, et homil. 19, *in quadr. mart.*, tom. II, p. 141 et 149. — S. Greg. Nyss., *Oratio de S. Theod. mart.*, tom. II, p. 1011. — S. Chrysost., *Encom. S. Meletii*, homil. 47, tom. VII, p. 191. — S. Augustin. *in solemn. Steph. mart.*, sermo 316, cap. 5, tom. V, part. II, col. 1270. — Prudent. Hymn. ix et xi. — S. Paulin, epist. 32, *ad Sever.*, n° 2. — Id. *de S. Felice nat.*, carm. x, vers. 10 et seqq., vers 171 et seq.

Sub his autem picturis delineabantur sententiæ ex Scripturis depromptæ, sive inscriptiones Christianæ quibus ad virtutes colendas, exemplaquæ sanctorum fortia imitanda, hortabantur quicumque legendi obtinebant artem.

Præterea, apostoli et prophetæ aliique novi fœderis martyres, confessores sive doctores, attributis facile primo intuitu inter se distincti habebantur. In opere eximio quod publici juris nuper fecit doctus vir D. Didron sub titulo *Ἐπιγραφὴ τοῦ ζωγράφου*, videre est Græcos apud pictores quæcumque figuram inscriptionis textu proprio esse distinctam. Plurima jam nunc exempla cognoscimus in ecclesiis occidentalibus harum piarum inscriptionum quæ figuras semper comitando explicabant.

Multas hujus generis inscriptiones versibus composuit Hildebertus noster, in sacro carmine facile princeps. Non omnes temporis injuria periere; Deo permitte, plurimas, ex codice ms. Turonensi n° 117 nov. et 164 vet., eruimus, nuncque primum edimus. Quasdam præ manibus habuit D. Beaugendre quas inseruit inter brevia poemata, sparsim et quasi sine methodo. Inscriptiones autem jam prelis mandatas relinquimus suo ordine digestas, ineditasque num. LV, ita disposuimus :

1. Dei æternitas.
2. Adæ peccatum.
3. Quid significet quod Dominus dixit serpenti : « Pectore et ventre repes. »
4. Veteris Testamenti patriarchæ.
5. Vir sanctus Job.
6. Moises percutit petram in deserto.
7. Virga Jesse. 7 bis de Virgine Deipara.
8. Angeli pastoribus Salvatorem natum nuntiant.
9. Christus infans in præsepe.
10. De duplici Christi natura.
11. Christus infans a Virgine lactatur.
12. Magi ab Oriente veniunt.
13. Magi Christum adorant.
14. Magi coram Herode.
15. Pastores Salvatorem adorant.
16. Elisabeth Mariam salutat.
17. Elisabeth visitat B. Virgo Maria.
18. Pharisæus et publicanus.
19. Arcta via quæ ducit ad cælum.
20. Christus peccata remittit mulieris in adulterium deprehensæ.
21. Christus languidos sanat. Piscina Siloe.

22. Paralyticus a Christo sanatus.
23. Surgit a sepulcro Lazarus.
24. Christus Hierusalem triumphans ingreditur.
25. Christus sacra communione apostolos in cœnaculo pascens.
26. Christus in cœnaculo pedes abluit discipulorum.
27. Christus a Juda proditur.
28. Christi passio.
29. Mulieres ad Christi sepulcrum.
30. Morte sua Christus homines liberat a morte æterna.
31. Mors morte Christi devicta.
32. Ubi Christi pingitur imago.
33. Juxta crucem stans Virgo mater Christi.
34. De Christo in cruce pendenti.
35. Redemptus homo per mortem Christi.
36. Crux sanguine Christi madida.
37. Christus ad hominem redemptum.
38. De Messia, Virginis filio.
39. Vicit leo de tribu Juda.
40. Deo reconciliavit peccatores.
41. Christus æterni Patris Filius.
42. De cruce Christi.
43. Subter Christi imaginem.
44. Duodecim apostoli.
45. Christus ad apostolos.
46. Sancti in paradiso.
47. De Eucharistia.
48. De communione sacra.
49. De somno.
50. De senectute.
51. Contra pravos habitus.
52. De fiducia inter pericula.
53. In vestimentis modestia.
54. De humana conditione.
55. Ex dictis B. Gregorii.

Huic autem libello adjunximus sub num. 56 poema ineditum *De Conceptione beatæ Mariæ*, e cod. Turon. erutum, quod rectius inscriberetur *De Annuntiatione Conceptionis et Nativitatis Christi*; et sub num. 57, *versus Hildeberti ad beatam Mariam*, e cod. ms. 3550 biblioth. imper. Paris. impressos inter tom. XI. *Histor. Litter.* additiones a membris Instituti Franciæ. Denique sub num. 57 versiculos etiam ineditos, ex cod. Turon. supra laudato, *Ieronimus in Annalibus Hebræorum de xv signis quindecim dierum ante diem judicii*, subjecimus, etsi dubium sit utrum sint Hildebertini. Sed cum proxime sequantur carmen Hildebertinum, eos ei tribuendos credidimus.

Antequam ad alia transeamus hic producimus duos versiculos, qui reperiuntur inter Hildebertinos, ubi memoratur annus quo a Francis et aliis militibus Christianis, crucis signo ornatis, Jerusalem e manibus infidelium, Deo favente, erepta est.

Anno milleno centeno quo minus uno.
Jerusalem Franci capiunt virtute potenti.

19° Sequuntur 1° versus de sancta Susanna; 2° de Machabæis; 3° de S. Vincentio; 4° Passio sanctæ Agnetis, virginis et martyris; 5° de Inventione sanctæ Crucis; 6° Vita B. Mariæ Ægyptiacæ.

20° Auctores Benedictini (*Hist. litter.*, tom. XI), operis Hildeberti cui titulus *Lamentatio peccatricis animæ* exitum desunt et illud desiderandum maxime prædicant.

Illud reperimus in cod. ms. bibliothecæ urbis Turonicæ num. 656 novo et 222 antiquo, et publici juris hic primum facimus. Et si compositum versiculis in eundem rhythmum seu sonum desinentibus, non indignum forsitan ab Hildeberto nostro reputabitur, si ad sensus pietatem spirantes ac inspirantes attendatur.

21° *Historia Mahumetis* et liber qui dicitur *Mathematicus* describuntur in cod. Turon. n° 117.

22° Libellus qui dicitur *Floridus Aspectus*. Inter carmina Miscellanea datur *Epitaphium Sugerii abbatis S. Dionysii*, sed minus recte sub nomine Hildeberti. Episcopus siquidem Cenomanensis factus Turonensis archiepiscopus obiit anno 1134; Sugerius vero abbas anno 1152. Unde patet epitaphium non fuisse ab Hildeberto exaratum. Huic autem subjunximus *Epitaphium Willelmi de Ros*, quod Hildeberto tribuitur (vid. *Hist. litter.*, tom. IX, p. 331-332) Ad finem adduximus sex versiculos ineditos sub titulo; 1° *De morte*; 2° *Ad Avarum*. Denique inter *carmina indifferentia* inseruimus sex versus elegiacos *de Lucretia* quos legimus in cod. Turon. 61, post *Berengarii epitaphium*.

23° Hildeberto restituimus poema quod inscribitur *De excidio Trojæ*. Illud edidit Polycarpus Leyserus in libro cui titulus: *Historia poetarum et poematum mediæ ævi*, Halæ Magdeburg. 1721, p. 398 et seqq., ex codice ms. Lipsiensi. Ibi versibus *De creatione mundi et operibus sex dierum* immediate subnectitur.

24° Inter opera Philippi abbatis Bonæ Spei quædam reperiuntur poemata Hildebertina, quæ hic primum sub auctoris nomine palam prodeunt.

1° Versus de sponso adversus sponsam suam.

2° Responsio sponsæ.

3° Responsio iudicis.

4° De laudibus Samsonis.

5° Epitaphium Senonensis episcopi.

6° Epitaphium regum Jerusalem.

7° Epitaphium abbatis Claræ-Vallis.

8° De Rota Fortunæ.

9° Quod parum valeant artes sine pecunia.

25° *Hildeberti fabulæ Æsopicæ*. Auctor mediæ ævi, Romulus pseudonome, Æsopi fabulas imitandi prætextu, Phædri fabulas describit solutiori sermone, stylum auctoris omnino subvertens. Oculatis autem lectoribus satis Phædri fabulæ apparent, bonique nominis poetam redolent. Librum Romuli præ oculis habens Hildebertus, poeta facundus, scriptor elegans, sermonem pedestrem e medio tollit versibusque ornat eximiis. Hinc in scholis, sive Galliarum, sive Italiæ, sive Hispaniarum sæculis XII° et XIV°, discipulorum manibus versantur, cum operibus Virgilii et Horatii, Hildeberti fabulæ, nomine Æsopi insignitæ. Decimo quarto sæculo transferuntur illæ fabulæ de Latino in Gallicum, semperque magna laude proponuntur.

Quod vero Hildebertus præ manibus habuerit Romuli textum, non autem genuinos Phædri versiculos, clarius apparet cuicumque attente illius librum legenti. Numero tantum LX fabulæ Hildebertinæ ad nostra feliciter venerunt tempora (latent cæteræ); conveniunt autem optime cum tribus Romuli primis libris, juxta codices mss. Ulmensem et Divionensem.

Cum primum Phædri genuinæ fabulæ publici juris factæ sunt a J. Chiffletio, tunc Hildebertinæ paulatim deciderunt fabulæ, hodieque vix ab eruditis cognoscuntur.

Reperire istas fabulas, quibus videbitur, promptu est in opere D. Robert, cui titulus: *Fabulæ ineditæ sæc. XII, XIII et XIV*, 2 vol. in-8° 1825.

Nunc transeamus ad Opera auctoris quæ desiderantur.

Venerabilis Hildeberti opera dubia aut spuria, vel quæ desiderantur.

Ex Hildeberto, Op. p. 171, discimus ipsum Historiam descripsisse miraculorum ecclesiæ Exoniensis, eamque precibus cujusdam Clarembaldi canonici seu ejusdem Ecclesiæ monachi. In epist. 3 lib. III, ad eundem Clarembaldum directa, videre est quid ipse declaret Hildebertus de opere ad illum transmissio.

Sanderus indicat ms. codicem in biblioth. monasterii Cambronensis (*Biblioth. Belg. ms.*, part. I, p. 357), in quo inveniuntur *quædam homiliæ in XII prophetis*, sub nomine Hildeberti, et *quatuor epistolæ* utilissimæ. Si nomina illorum quibus scriptæ fuerunt illæ epistolæ nobis declarasset, utique cognovissemus utrum reperiantur inter Hildebertinas a D. Beaugendre editas. Homiliæ autem non nisi per istam mentionem nobis innotuerunt.

Idem Sanderus (*ibid.*, part. II, p. 119) asserit in vol. 123 codic. mss. monasterii de Loz ou Loo, ordinis Cisterciensis, prope Insulam in Flandria esse poema quod verbis sequentibus memorat sub hoc titulo: « *Versus heroici*, ex eo quod apparet de stylo, ab Hildeberto, Cenomanensi episcopo, De analogia sacramentorum eucharistiæ, baptismi et matrimonii, cum illorum figuris. » Nihil aliud cognoscimus de illo carmine.

Petrus Cantor (Petr. Cant., p. 325) in opere cui titulus: *Verbum abbreviatum*, describit quatuor sequentes versiculos, nullum tamen proferendo auctoris nomen:

Ha ! quam sollicito quisque labore
Occurrat medico carnis amore !
De morbis animæ, nulla querela,
Ægrotam sequitur tarda medela.

D. Autem Georgius Galopin, S. Guilani monachus, marginali nota, indicat istos versiculos tanquam Hildebertinos et erutos e poemate cui titulus: *Incendium*. Nullum vero carmen a nostro auctore tali titulo insignitum. Penitus latet si quando exstiterit tale carmen. Attamen poema quod D. Georgius Galopin vocat *Incendium*, non aliud esse videtur ac tractatus *De conflictu carnis et animæ, partim metricus, partim prosæicus*, in quo reperiuntur quatuor versiculi superius laudati.

Philippus de Bergame in Supplem. chronic. an. 1106. p. 289, dicit de Hildeberto: « Scripsitque elegantissimo metro valde utilem expositionem super toto Psalterio. » Philippus quidem citat Vincentium Bellovacensem qui de isto carmine omnino tacet. Viditne illud poema Philippus? Non affirmat. Cum vero laudat Hildebertum scientiæ Scripturarum peritissimum, illi fortasse tribuit alienum opus.

Joannes Bouchet (*Annal. d'Aquit.*, p. 29) tradit auctorem Vitæ S. Hilarii quemdam Hildebrandum, Cenomanensem episcopum, istiusque verba profert inquirendo locum sepulturæ S. Hilarii. Intendit certe J. Bouchet nostrum Hildebertum sub nomine Hildebrandi. Scripsit fortasse aut scriptam B. Hilarii Vitam elegantiori stylo rescripsit, sicuti Vitam B. Radegundis in meliorem formam redegit. Suspiciamus, non autem affirmamus quod supra siquidem a D. Bouchet solo didicimus, qui prælatum nostrum ostendit hoc opus limantem viginti annos postmortem suam; « tempore, inquit, Henrici regis Anglorum, et Alienoris uxoris ejus, cum essent Aquitaniæ domini. » Nemo est qui nesciat Henricum thronum ascendisse anno 1154, mortuo Stephano, et Alienorem uxorem duxisse, postquam fuisset a Ludovico Juniore repudiata, anno 1151. (HENR. GAND., *Hist. eccles.* cap. 8, Schol. p. 118.)

Vir cl. Le Mire, Schol. in cap. 8 *De scriptoribus eccles.* Henrici Magni, Hildeberto nostro tribuit epistolam scriptam Carthusianis Montis Dei (*Gall. Christ. nov.*, tom. IX, p. 233). Et quidem minus recte, nam auctor epistolæ superius laudatæ animam efflavit ante foundationem monasterii jam nominati, quæ facta est anno 1137, ac proinde tribus annis post mortem Hildeberti.

Decker, *De scriptis adesp.*, p. 106, ubi *conjecturas* exponit *de scriptoribus anonymis*, dicit post Goldastium quod falso quidam tribuant Hildeberto opus quod inscribitur *De corrupto Ecclesiæ statu* cujus auctor est Nicolaus de Clamengis, archidiaconus Bajocensis, qui personam et nomen usurpavit Hildeberti. Quidam scriptores minus attenti vel rerum XII et XV sæculorum parum docti errare potuerunt.

Videtur auctor Collectionis canonum Hildebertus, qui aperte in epist. ad episcopum Memoriensem asserit se scripsisse talem librum (epist. 27 lib. II). Quis sit episcopus

Memoriensis, ignoratur; Hildebertina tamen certe est epistola supra memorata. D. Beaugendre opinatur illum episcopum fuisse Malchum (*Malch*) nomine, ex monacho Vincestriensi factum episcopum in provincia *Mumonia* insulæ Hibernicæ, teste S. Bernardo in Vita B. Malachiæ. Scripserat prælatus ille Hildeberto nuntians mortem Mathildis reginæ, ad preces ejus commendans animam nuper defunctæ reginæ. Estne potius Guillebertus episcopus civitatis Limerick in Hibernia, legatus in istis regionibus? Quidquid sit de nomine episcopi et episcopatus, his verbis ad eum scripsit Hildebertus: « Exceptiones aulem decretorum, quas in unum volumen ordinare disposuimus, ad suum finem nondum perductæ sunt. Opus enim hoc liberum curis pectus desiderat, cujus nos episcopus immunes fecit. Horum tamen jam explevimus partem, atque ad id peragendum quod restat, episcopum deponemus. Peractum vestras veniet in manus, nec opus erit ut pro eo deferendo vester legatus ad nos usque fatigetur. Officii nostri erit vobis illud per nostrum destinari. »

Ex quod patet inceptum opus Hildebertum non consummasse propter incessantes et importunas episcopatus curas, illudque imperfectum reliquisse usque ad mortem reginæ Mathildis, anno 1118. Peregitne opus suum Hildebertus? Expleti operis quisnam exitus? Superestne, exciditne? D. Beaugendre suspicatur illud opus, ab Hildeberto inchoatum, fuisse ab Ivone Carnotensi episcopo completum, qui nempe in diœcesi Carnotensi tranquillus, labore nunquam laxabat. Sed non meminit editor Ivonem obiisse anno 1115, ac proinde non perfecisse opus quod anno 1118 nondum finem acceperat. Ipse D. Beaugendre affirmat epist. ad episcopum Memoriensem scriptam fuisse anno 1118 vel anno 1119, Mathildemque Anglorum reginam mortuam anno 1118. Unde concludimus canonum Collectionem, Ivonis nomine insignitam, non esse Hildebertinam, et epist. 53 lib. III, non esse hujus operis præfationem nec Hildeberti fetum. (De canonum libris vid. *Hist. litter.* tom. XI, p. 407, 408 et 409.)

D. Doujat loquitur de quibusdam Hildeberti capitularibus, nihil ex iis proferendo. Agitur probabilius de statutis synodalibus quæ confecit cum Cenomanensem Ecclesiam regeret. D. Thiers quædam illorum fragmenta in suis opusculis retulit, ex quo concludit D. Beaugendre auctorem vidisse apographum. Multum ipse ut videret tale apographum insudavit, sed frustra, editor Benedictinus.

Casimirus Oudin (*Script. eccl.*, tom. II, p. 995), diffuse loquitur de operibus Hildebertinis quæ in diversis Angliæ bibliothecis asservantur. Inter ea quædam videntur inedita, quæ penitus fugerunt D. Beaugendre, quamvis etiam quædam videantur sub aliis indicibus publici juris facta. Non videntur huc usque cognita 1° *Narratio de genealogia Salvatoris*, in cod. ms. Caroli Theyer, n° 15, in quo sunt epistolæ et sermones ejusdem auctoris; 2° *Liber præfigurationis Christi et Ecclesiæ, versibus hexametris*, in 28 manuscripto Guillelmi Landi, n° 10; 3° *Elegia in qua Synagogam alloquitur Theologia*, in eodem codice.

Turonibus, die 13 Septembris, in festo S. Lidorii, Turonensis episcopi.

J.-J. BOURASSÉ, can. Eccles. metrop. Turon.